

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCCLV.**

**VD18 90538889**

Caput Primum. Historiam hujus morbi sistens.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16577**

## C A P U T P R I M U M.

*Historiam hujus morbi sistens.*

**M**Ulier ex vicino Palatinatus superioris oppido, *Langenthal* dicto, duabus horis itineris ab Academia hac Altorfina distante, nomine *Anna Bayerin*, quadraginta octo annos nata, macilenta, temperamenti melancholico-cholerici, mater octo liberorum, circa finem Januarii anni hujus millesimi septingentesimi vigesimi huc Altorfium in traha, quia ambulare amplius non poterat, ferebatur, cuius maritus & agnati Excell. D. *Præsidem* accedentes referebant, mulierem illam mammam horrendæ magnitudinis, duo quasi capita humana æquante, vehementer affligi, atque propterea ipsius auxilium opemque implorabant. Accedit itaque ad malum ipsum inspiciendum, atque statum morbi accurate explorandum. Accedens vero reperit mammam dextram prædictæ magnitudinis, & figuræ talis, sicuti eam supra exacte delineari curavimus. Color erat ex atro-rubente & livido mixtus, fere instar partis ad sphacelum properantis, aspectu horrendus, intermixtis hinc inde venis atro sanguine repletis. Figura non erat rotunda sive sphærica, verum ex majori sphæra A, a latere dextro minor quasi sphæra B prominebat. Major autem sphæra multis corporibus verrucosis, quorum viginti circiter numerari poterant, CC, obsita erat, quæ magnitudine, figura & colore papillæ adeo fuerant similes, ut ægra ipsa veram papillam a reliquis verrucis distinguere amplius non potuerit; quæ verrucosa corpora aspectum horribilem non parum augebant. Mulier valde jam erat debilis, & partim ob virium imbecillitatem, partim ob pondus hoc enorme pectori appensum atque incumbens, surgere aut ambulare vix amplius valebat. De doloribus conquerebatur vehementibus, urentibus, & quasi trahentibus versus dorsum & scapulas, totumque thoracem stringentibus, ob quos misera enixissime auxilium rogabat. Laudatus vero Excellentiss. D. *Præses* non solum omnes circumstantias probe considerans, sed etiam præterita, ortum & progressum mali examinans, judicavit atque simul indicavit ægræ & adstantibus, malum hoc esse periculi plenissimum: ægram enim jam valde esse debilem, viribusque fere exhaustam, & tumorem adeo ingentis esse magnitudinis, ut vix felix eventus sperari possit. Præ omnibus vero asseveravit, medicamentis hic nihil effici posse; attamen, quia totam molem adhuc reperiebat mobilem, neque subjectis partibus innatam sive intricatam, neque glandulae sub axillis induratae, aliove modo essent affectæ, neque aliis morbus jam adesset; hinc spem aliquam adhuc superesse in amputatione, si huic se submittere velit, alias eam certo & brevi esse morituram. Cum vero



vero mulier afflictissima perciperet, supereffe adhuc aliquam salutis spem, (quæ jam apud ipsam penitus collapsa erat) instantissime rogavit Excell. D. *Praesidem*, ne ipsam desereret; sed ut fecaret, &, quicquid necessarium ipsique utile judicaret, faceret; se, doloribus hucusque ita excruciatam, contentam esse velle, si modo per bihorum post operationem vivet, ut adhuc per exiguum tale temporis spatium a tumore, pondere & doloribus atrocissimis libera vivere, & Deo pro tali beneficio, in statu tranquilliori & a doloribus vacuo, gratias agere posset, seque postea mortem non amplius reformidaturam esse. Precibus igitur hisce saepius iteratis locum dedit Excellentiss. D. *Præses*, atque promisit, se præparato prius idoneis remedii corpore ipsius, eam a tumore hoc molestissimo per sectionem liberaturum esse, id quod etiam, sicuti postea describemus, præstít. Quod vero *ad initium & progressum hujus mali attinet*, retulit ægra, illud jam sedecim abhinc annis initium sumisse, & quidem eo tempore, quo recens fuerat puerpera. Accidisse nimirum tunc, ut, cum sola (sicut apud ruricolas fieri solet) in lecto decumberet, rusticum quemdam ipsius fores pulsasse, ita, ut sudans propterea e lecto surgeret, ad videndum, quid ille velit. Hoc cum faceret, percepisse fē perhibet aëris frigidi ad mammam hanc sudantem & non satis bene tectam appulsum, atque inde paulo post tuberculum in mamma, avellanæ quasi magnitudine percepisse, illudque mobile & indolens. Hoc propterea multos per annos flocci fecit, atque etiam postea ter adhuc non solum peperit, sed quoque tres suos infantes sine omni incommodo lactavit; tuberculo illo vix auctor. Successu tamen temporis sensim sensimque crevit; donec tandem post duodecim annos ad ovi magnitudinem accederet. Quo in statu majus malum metuens, medicastras & medicastras hinc inde varios consuluit, quorum alii emplastris, alii unguentis, alii fomentis, alii cataplasmatibus, nescio quibus, tumorem modo resolvere sive discutere, modo ad suppurationem deducere pollicebantur, sed frustra; e contrario tumor indies accrevit, donec tandem circa initium anni superioris ad capitis magnitudinem accederet, dolere inciperet, totamque mammam occuparet. Quo magis vero accresceret, eo magis quoque dolor, qui diu nullus erat, ingravesceret, & eo magis de periculo follicita erat; quapropter alios atque alios adibat circumforaneos ac medicastras, quorum quilibet inepta sua adhibebat remedia, ea spe atque pollicitatione, fore, ut tumor discuteretur, vel ad abscessum felicem deduceretur; sed omnes nihil efficiebant, tumore doloreque continuo ingravescente. Denique circa finem Novembris anni superioris aliis adhuc circumforaneus accedebat, qui certam per suppurationem mali hujus curationem promittebat, atque remedia sua per integrum mensē adhibebat. Verum cum antea usque ad illud tempus unicū & simplex esset tumor sphæroides, hujus agyrtæ artibus effectum est, ut minor ille tumor lateris dextri B, e majori A, ex crescere, dolores valde augerentur, & mulier ad insignem debilitatem redigeretur, ita, ut

vix



vix amplius sola per cubiculum incedere valeret. Quo in statu desperato tandem hoc pervenit, & auxilium Excell. D. *Præsidis* imploravit. Antequam vero historiam hujus morbi finiamus, hoc adhuc addere haud incongruum erit, quod mulier hæc, antequam hic tumor multum increaseret, copiosissimis iisque maximis pedum varicibus, a primi foetus gestatione, laboraverit; quæ vero ab anno ultimo, quo tumor mammæ magis increvit, eo magis illæ decreverunt atque imminutæ sunt, donec tandem ultimis mensibus ita disparuerint, ut nullum earum vestigium amplius superfuerit, neque nunc supersit. Menses etiam ab eo tempore, quo tumor valde auctus est, nimirum a mense Octobri anni superioris fluere desierunt. Atque hæc est integra gravissimi hujus mali historia.

## C A P U T I I L

*Resolutionem casus hujus exhibens.*

**C**ancer mammarum, qui græco vocabulo *carcinoma* audit, ab autribus in occultum & apertum vulgo dividi solet. *Occultus* vocatur <sup>Definitio & divisio</sup> tumor durius, *aper*sive inæqualis, dolens, scirrum indolentem subsequens: quo dolore a scirro mammarum, qui indolens est, distinguitur. *Apertus* vero audit ulcus, cancrum occultum excipiens; quando nimis cutis in tali affectu & postea tota reliqua mammæ substantia exulceratur; unde & cancer ulceratus sive exulceratus vocari consuevit (*a*). Haud quidem ignoro, cancrum occultum a nonnullis tantum dici cancrum partium internarum (*b*), qui revera occultus est, quia in sensus haud incurrit; & apertum eum, qui in sensus incidit, sive in partibus externis existat, sive hic ulceratus sit, sive non sit. Attamen usitatius magisque receptum est apud medicos, illos *cancros occultos* vocare, qui a cunte integra adhuc occultantur; *apertos* vero, ubi cutis exulcerata, adeoque cancer antea absconditus sive occultus, jam apertus conspicitur (*c*).

*Recte*

(*a*) A variis quidem varie hic morbus definitur, mihi vero hæc modo data cancri utriusque definitio optima videtur: præsertim cum variis male & false eum definiant, quos vero omnes hic refutare, meum non est propositum.

(*b*) Ut a Galeno. Vid. & *Montagnana* de cancro, & *Fallopus* de tumor.

(*c*) Disputant scriptores multi, unde vox *cancer* huic morbo fuerit applicata; quidam volunt hoc ob figuram vel similitudinem cum cancro fluvialili factum esse, vid. *Montagnana* de cancro p. 55. *Aetius* Lib. 3. cap. 46. item Lib. 16. cap. 43. *Galenus* ad *Glauc.* cap. de cancro. Alii vero, quia malum est adeo pertinax, tam firmiter hærens, sicut cancer chelis suis tam firmiter adhærens, ut vix aveli possit. Mihi vero perinde est, undecumque vox oriatur, nam controversiam etymologicam meam facere nolo.

Tom. II.

T t t

